





38

Acerbum Funus

REGINÆ Drehers

Suavissimæ Conjugis

JOACHIMI Hammermeisters/

Protonotarij Regij

His prosequuntur

Lacrumis

Amici

STETINI, Typis GEORGII GOETSCHII

ANNO M. DC. XLII.

Prosopopœia Mariti ad suavissimam Uxorem.



EU! quam futuræ sortis ignari sumus
Humana turba; quàm citatis lapsibus
Sistenda nulli volvitur vitæ rota.
REGINA, dulcis ah REGINA: Lux (mea
Quam Te putaram firmiter superstitem
Fore per tot annos Filiæ unicæ, & Mihi!
Nunc ante tempus insperatò concidis
Flos sicut immaturior: Vix terminum
Ætatis attigisti eum, quo gaudia
Spirare Tu, atq; ego sperare cœpimus.
Mors est, & omni morte pejus vivere,
Postquam Tui carere cogor optima
REGINA, dulcis ah REGINA. Non fratrem,
Socium, parentem aut si quid illis charius,
Amisi ego; Uxor est, ah Uxor interit!
Pudoris officina, & Temperantiæ,
Invicta quondam cordis hujus machina,
Pars vitæ, & hujus Imperatrix Pectoris
Amore plena, dignitate, gratiâ
Faventiâq; Hæc inquam, Manium ad domos
Abivit, unde fas redire neminem.
Abivit, heu! Mundi atq; inanium satur.
Quod cum recordor, atq; ejus desideri

Inten-

Intensus ardor æstuat præcordijs,
Opto ipse, derelictus nunc ab omnibus,
Miserabilis, viduatus suavi compare,
Tot anxius curis, & ægrimonijs,
Moriar. Licet moriendo vivam pessimè,
Vivamq; mortem, & mortuam vitam traham
Vivum cadaver, ac superstes vix mihi.
Cuî me relinquis, & cuî deseris mea
REGINA, dulcis, ah REGINA? Si mori,
Et Tecum abire debui orbe Lux mea,
Cur vivo, nec morior? priusquam ego enecer
Querimonijs, tot & curarum morsibus.
Fulsere quondam candidi soles mihi,
Cum Te licebat vividam intuerier,
Cum ludere, esse, Tecum & vivere obtigit:
Nunc involutus ipse crassis nubibus
Tenebricosus erro totam per domum
Tristis, meiq; nescius, Solatium
Te posco, Te quæro, Invoco: Sed O dolor!
Non invenire Te amplius mihi licet
REGINA dulcis, Ah REGINA, Lux mea.
Quæ nunc me adibit, ut fori molestijs
Lassam, fatigatamq; mentem recreet?
Quam nunc amabo? Cujus esse nunc volam?
Ubi nunc, animi curas mei quæ diluet?
Periêre cuncta, heu! cuncta mi solatia;
Spes, vita, Gaudium; omnia ista perdita;

Et ego maritus heic morer Tecum emori,
REGINA, dulcis ah REGINA, Lux mea?
Cessa Marite. Non sic summus arbiter
Decrevit. Uxor, quam diurnare haud tulit
Virtus in orbe, fas ubi versum ac nefas,
Summæ Salutis attigit jam limitem,
Fruiturq; vitâ, vita quæ dici meret.
Lugere ademtam cœtui imperat dolor,
Vetatq; Te Marite abesse lacrymis.
Sed & nec invidere fas mortalibus
Felicitatem, & ista cœli gaudia.
Perit, perire quod jubet fatalitas
Mortale corpus, inq; pulverem redit:
Mens at polo cognata, priscam originem
Repetit, tot ex mali & probri incitabulis
Æternitati vivens atq; gloriæ.
REGINA, Amice, vivit, uxor optima.
Vivit, poloq; sydus additum novum est.
Ætatis antegressa fœminas suæ
Formâ, pudore & cæteris virtutibus
Regnavit heic REGINA: at absq; insigniis.
Nunc sceptra Palmulæ habens & Coronulam
Post bella tot, mundiq; tot molestias
MUNDUM TRIUMPHAT, ET TRIUM-
(PHAT OMNIA.

Testandæ Condolentiæ E.
posuit
GEORG KIRSTENIUS D.

ET Tua proh! moritur, *Vir Consultissime*, Conjux,
Qvæ fuerat Tecum vivere digna diu.
Sic Fortuna Bonum rapit invida, qvod dedit! atqvi
Non ſine fatalî conditione rapit.
Haut aliter voluit Rerum Patris alma voluntas.
Hinc fuge mœſtitiam, ſubjice Teq; DEO:
Et Tibi conſultum fuerit bene: nam *ſibi verè*
Fidentem non vult deſtituiſſe DEUS.

Obſerv. & condol. ergò
M. Mart. Bambamius.

Variolæ Malevolæ
Sine morte rarò ſolæ.

DIra lues morbillorum ſatis eſt graſſata per Urbem
Et papulæ ardentes regnarunt hic & ubivis.
Vix fuit ulla domus, varians contagio quam non
Intrarit: mortis creber ceu Prodromus atræ.
Abſtulit infantes, Juvenes, nitidasq; puellas.
Matronas teneras, linquens ſpectacula mœſta
Queis facies, ſpecies, hominis nec forma remanſit.
Has inter periit CONJUX *digniſſima vitâ*
Corporis & cordis famâ, pietate, decora.
Non eſt quod doleas multùm Præclare Marite.
Nil proſunt lachrymæ: nec poſſunt fata moveri.
Hæ ſordes animæ ſcabiem rabiemq; repellunt.
Ante oculos noſtros quô triſtior exſtitit; illa
In cœlis fulget cum Chriſto pulchrior aſtris.

συμπαθείας ἕνεκα apponebam
Johannes Andreæ, Padelgar Sileſius.

CUjus magnificè ſtructæ ædes quattuor ante
Menſes ad Thalami rem patuere mei,

Conviviſq; ſonô chordarum & arundinis aptô
Ad ſua lætitiæ cœpta dedere locum,
Eheu occubuit REGINA! hinc concidit ejus
Gratia præclaræ, quæ fuit antè, domus.
Ampliùs haud ſolitam reddunt penetralia lucem,
Proq; tapete latus jam nigra vela premunt.
Pallor in ore ſedet cunctis, auditur amarus
Pro modulis planctus, nænia proq; jocis.
An vicinùs ego taceam? indignatio certè
Extorquet verſum, hîc quòd fera Parca furit.
O Diva inclemens, quis te furor armat iniquus
Melleolum florem hunc abripere ante diem,
Et domui charæ cum Poſſeſſore benigno
Temporis in puncto tot dare damna brevi?
Conjugium quod ſvave fuit, fœtum atq; ſecundum,
Heu! ſubitò nunc fit flebile disjugium.
Scilicet exſpirant tunc gaudia cuncta mariti,
Uxor amata ſuum ſi cadit ante diem.
Infauſta ergò dies & vix memoranda, dolores
Unde ſatis magnos Vir bonus hicce capit.
Sic ego condoleo, ſic & benefacta requirunt,
Grati animi ſignum, quæ meminiſſe, puto.
Sic tamen ob mortem cûivis reor eſſe dolendum,
Excedat juſtum ne dolor iſte modum.
A Domino noſti ſors & mors utraq; quòd ſint,
Uxorem ipſe probam ſuſtulit, ipſe dedit,
Vir præclare Tibi; nunc Te ad meliora reſerves
Fata DEI expectans proficuum auxilium.
Oſſibus interea denatæ ſancta ſepulchrô
Sit requies! animam cœlica regna juvent!

Teſtandi doloris & officij causâ
deprop.
Auguſtinus Puchner / P. L. & N. P.

ARctiùs injunctos, Hammermeistere, favores,
Numinis abrumpi vi, imperioq́ꝫ vides.
Carius, ut fas est, licet hoc tibi fœdus amatum
Omnibus instabili rebus in orbe fuit.
Ecce diu potuit tamen haut consistere lætum,
Præ reliquis turbis, connubiale sacrum.
Vnde nihil poteris citiùs pro corde placandô
Ponere, quàm superas aspiciendo domos.
Non ad præsentes curas nos esse paratos
Tantùm, sed melius mox super astra decus.
Illic morbilli minimè, non ulcus acerbum,
Corrumpent fœdè corpora pulchra priùs.
Credentûm verè potiùs rediviva redibunt
Prælustri Phœbo splendidiora magis.
Jubila perdoctè linguis cantantia puris,
Sicq́ꝫ REDEMPTOREM magnificando DEUM.

BONAVENTURA Werther.

SO fürchtet nicht der Todt bey euch schon einzukehren
Herr Hammermeister? Nein/ es kan jhm keiner wehren/
Das er so früh' reist ab die Blüt' der edlen Zier/
Die jhr allzeit geliebt/ die Euch erfrewt allhier.
Er achtet keiner Kunst/ Er achtet keiner Jugendt/
Er achtet kein' Gestalt/ fragt nicht nach wahrer Tugendt/
Damit dieselbe wahr für anderen begabt/
Vnd Ewr Trawrigkeit gar offt damit gelabt.
Sie war Ewr gantzes all'/ Ewr Trost/ vnd Ewer Leben/
Sie war auch Ewre Ruh/ waß mocht Sie Euch mehr geben?
Sie hatte jhren Sinn vnd fewrigen Verstandt
Nicht auff ein sterblich Ding von Kindheit an=
(gewandt.
Weil das/ was Irdisch ist/ zu Grund vnd Boden gehet/
Allein der Tugendt Ruhm in Ewigkeit bestehet.
Drumb ob Sie schon so jung der Schwanensang jetzt
(singt/
Was jhr an Jahren feelt/ der grosse Lob einbringt.

Ihr

Ihr Seele hat nunmehr Vrsach sich zu erfrewen/
In der gestirnten Lufft/ sie darff kein Wetter schewen
Im Sturme dieser Welt/ist weit von Zanck vnd List/
Vom Kriege welcher nū als wie der Krebs vns frist.
Wir Armen müssen hier in diesem Kampff noch ringen/
Vnd zwischen Trost vnd Angst die rauhe Zeit verbringen/
Erwarten mit Gedult auch vnser letztes Ziel
Biß daß der Lebensfürst vns zu sich haben wil.

Dieses weinige auß Christ-hertzlichem Mitleiden auffzusetzen ist genötiget worden/

GOTHOFREDUS ALBINI Sedinensis.

IMperio mortis sunt omnia subdita terris
Non ulli parcit mortis avara manus.
Sit juvenisq; senex, sit præstantissimus ille,
Mors tamen hunc subitò falce rapace secat.
Non genus aut virtus non rerum plurimus usus,
Crudelem mortem pellere in orbe potest.
Quod jam testatur sat clarè fœmina casta,
In qua lucebat cum pietate, fides.
Non hanc immeritò jam vir clarissime, plangas,
Hæc, tibi cum conjux associata fuit.
Desine sed luctus lachrymas, & fundere multas
Nos voluisse decet, qvod pia fata volunt.

Chronodistichon.

SI satIs In terrIs foetIs eXegIMVs annos.
HæC nos VIVentes aVrea aD astra ferVnt.

Heinricus Schwallenberg.

Regina Dregeriana
per anag:
En regia regna dari.

EN *fœlix superest, qui mortis falce resectus,*
Huic etenim certum est regia regna dari.
Non igitur lachrymas, Vir Præstantissime, fundas,
Dilectæ uxoris tristia fata videns.
Illa petens cœlos, vitæ donata corona est,
Et cum cœlicolis gaudia magna capit.

Condolentiæ ergo f.
Bogislaus Schwallenberg.

FINIS.

